

permissum est, manifeste non est cuiquam ad imitandum propositum, ut quilibet iniusto^{h)} ordine credat se habere iustum coniugium; sed potius divinum extitit miraculum vel sacramentum ita illum virum vera et admirabili poenitentia fuisse purgatum atque ab omni adulterina subreptione sanatum, ut posset et ex tali coniunctione castum et legitimum esse coniugium. Sicuti et in extremo vitae suae tempore mira et speciali virtute Abisag Sunamitidem speciosissimam virginem et ex cunctis finibus regni Israel electam habuit sibi assidue ministrantem et secum assidue cubantem atque dormientem, quam tamen nunquam cognovit³⁰⁹.

CAPUT XIV. Haec ergo vel ita admiranda sunt, ut penitus non possint esse imitanda, vel ita illi tempori Mosaicae legis concessa, ut adveniente domini et salvatoris nostri evangelica gratia sint penitus removenda, vel quoniam, sicut apostolus dicit, omnia haec in figura contingebant illis³¹⁰, divinis sint mysteriis applicanda. Quamquam si non præcessisset in illa muliere adulterium nec viri eius interfectio fuisset adiuncta, quis non videat potuisse eam mortuo viro proprio et debita iam curatione deplorato, cui vellet, honesto et legitimo matrimonio copulari? Sed et regem, qui pro conditione temporis illius non prohibebatur plures habere uxores, potuisse legitime accipere cuiuslibet defuncti uxorem? Illud vereⁱ⁾ in gestis eius magnificum et valde imitandum claret, quod uxores sive concubinas, quas fugiens reliquerat ad custodiendam domum, a filio impio incestatas atque pollutas³¹¹ nunquam ulterius agnovit, sed tanquam vim perperas aluit eas tantummodo clementer et fecit eas habitare clausas usque ad diem mortis suae in viduitate viventes. Sed et illud nequaquam abhorret ab ordine et observantia religionis, cum adhuc regnaret in Hebron super tribum Iuda tantummodo et Isboseth filius Saul obtineret regnum Israel, misit ad Abner principem militum et gubernatorem domus regiae, ut restitueret ei Michol, filiam Saul, quae fuerat uxor eius et quam sibi desponsaverat centum praeputiis Philistinorum quamque Saul, pater ipsius, illo hostiliter et iam extra terminos regni sui effugato alteri viro tradiderat coniugem³¹². Iustum namque erat, ut illa persecutione et effugatione finita regressus in patriam, quod sibi iure compete-
bat,

h') in iniusto *Si*, *Konjektur Bu* isto vel iniusto.

i') vero *Si*.

309) *Vgl. 3. Reg. 1.*

310) *Vgl. 1. Cor. 10,6.*

311) *Vgl. 2. Reg. 16.*

312) *Vgl. 2. Reg. 3.*